

SABBATO TERTIO OCTOBRIS

# BEATÆ MARIÆ VIRGINIS A SCHOLIS

Patronæ scholarum studiosæ iuventutis

Sabbato tertio octobris vel uno die intra octo dies proxime sequentes, in oratoriis scholarum aut in ecclesiis, in quibus magistri et discipuli ad Patronam celebrandam conveniunt, permittuntur duæ Missæ votivæ II classis (cf. Cod. rubr. nn. 358 f, 359).

Hæc Missa dici quoque potest, et quidem unica, tamquam votiva II classis, iisdem locis ut supra, occasione cœtuum ac “dierum magistrorum” de consensu Ordinarii (cf. Cod. rubr. nn. 370 d, 371).

## Antiphona ad Introitum

Ps. 118, 66 et 73

**B**onitatem et disciplinam et scientiam doce me; da mihi intellectum ut discam mandata tua (T.P. allelúia, allelúia). Ps. *ibid.*, I. Beáti immaculáti in via, qui ámbulant in lege Dómini. *ψ*. Glória Patri. Bonitatem.

## Oratio

**D**a nobis, quæsumus, Dómine, beáta María Vírgine Sapiéntiæ Matre intercedente, in Iesu Christi sciéntia ita profícere: ut vitam consequámur ætérnam. Per eúndem Dóminum.

Lectio libri Sapiéntiæ

Eccli. 24, 23-31

**E**go quasi vitis fructificávi suavitatem odóris: et flores mei fructus honóris et honestátis. Ego mater pulchræ dilectiónis, et timóris, et agnitiónis, et sanctæ spei. In me grátia omnis viæ et veritátis: in me omnis spes vitæ et virtútis.

Transíte ad me, omnes qui concupiscitis me, et a generatióibus meis implémini. Spíritus enim meus super mel dulcis, et heréditas mea super mel et favum. Memória mea in generatióes sæculórum. Qui edunt me adhuc esúrient: et qui bibunt me adhuc sítient. Qui audit me non confundétur: et qui operántur in me non peccábunt. Qui elúcidant me vitam ætérnam habébunt.

**Graduale. Prov. 8, 32-33.** Nunc ergo, fílii, audíte me: Beáti qui custódiunt vias meas. *ψ*. Audíte disciplinam et estóte sapiéntes, et nolíte abícere eam.

**Allelúia, allelúia. *ψ*. Ibid., 34.** Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas cotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Allelúia.

*¶ In Missis votivis post Septuagesimam, omissis Allelúia et versu sequenti, dicitur*

**Tractus. Prov. 8, 12-14.** Ego sapiéntia hábito in consílio, et eruditis intérsu cogitatióibus. *ψ*. Arrogántiam et supérbiam et viam pravam et os bilíngue detéstor. *ψ*. Meum est consílium et æquitas, mea est prudéntia, mea est fortitúdo.

*Tempore autem Paschali omittitur Graduale, et eius loco dicitur:*

**Allelúia, allelúia. *ψ*. Prov. 8, 34-35.** Beátus homo qui audit me, et qui vígilat ad fores meas cotídie, et obsérvat ad postes óstii mei. Allelúia. *ψ*. Qui me invénerit invéniet

vitam et háuriet salútem a Dómino.  
Allelúia.

Sequéntia sancti Evangélii  
secúndum Lucam

Luc. 2, 42-52

**C**um factus esset Iesus annórum duódecim, ascendéntibus illis Ierosólymam secúndum consuetúdinem diéi festi, consummatísque diébus, cum redírent, remánsit puer Iesus in Ierúsalem, et non cognovérunt paréntes eius. Existimántes autem illum esse in comitátu, venérunt iter diéi, et requirébant eum inter cognátos et notos. Et non inveniéntes, regréssi sunt in Ierúsalem, requiréntes eum. Et factum est, post trídium invenérunt illum in templo sedéntem in médio doctórum, audiéntem illos, et interrogántem eos. Stupébant autem omnes, qui eum audiébant, super prudéntia et respónsis eius. Et vidéntes admiráti sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecísti nobis sic? ecce pater tuus et ego doléntes quærebámus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebátis? nesciebátis quia in his, quæ Patris mei sunt, opórtet me esse? Et ipsi non intellexérunt verbum, quod locútus est ad eos. Et des-

céndit cum eis, et venit Názareth: et erat súbditus illis. Et mater eius conservábat ómnia verba hæc in corde suo. Et Iesus proficiébat sapiéntia, et ætáte, et grátia apud Deum et hómines.

**Antiphona ad Offertorium. Ps. 33, 12.** Veníte, fílii, audíte me; timórem Dómini docébo vos (T.P. allelúia).

#### Secreta

**C**orda nostra, quæsumus, Dómine, supérni lúminis splendor inúndet: ut, beáta Vírgine intercedénte, per sáculi ténebras transeámus incólumes, atque in æternæ claritátis pátriam íngredi mereámur. Per Dóminum.

**Præfatio de beata Maria Virg.** Et te in Veneratióne.

**Antiphona ad Communionem. Luc. 2, 40.** Iesus autem crescébat et confortabátur, plenus sapiéntia, et grátia Dei erat in illo (T.P. allelúia).

#### Postcommunio

**C**æléstibus recreáti mystériis, quæsumus, Dómine: ut sacraméntum quod sumpsimus fiat nobis, beáta María Vírgine intercedénte, panis vitæ et intelléctus. Per Dóminum.

Concordat cum originali a S. R. C. approbato.

IMPRIMATUR.

Marianopoli, die 23 Martii 1964

† PAULUS ÆMILIUS CARDINALIS LEGER  
Archiepiscopus Marianopolitanus